



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rerum Christianarum Memoria, Libri X

Haimo <Halberstadensis>

Helgestadi[i], 1671

Cap. XII. De morte Titi, de Domitiano persecutore, & de Lino, Cleto & Clemente.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10968

& deliciae generis humani diceretur. Hic non nocuit Christianis. Per idem tempus *Linus* obiit, Romanus pontifex, transactis in sacerdotio XII. annis. *Anacletus* succedit. *Titus* regnavit II. annis, & totidem mensibus.

C A P. XII.

De morte Titi, de Domitiano persecutore, & de Lino, Cleto & Clemente.

Titus moritur post duos annos imperii sui & duos menses. Domitianus vero, frater ejus minor, statuitur imperator. Cujus quarto anno, apud Alexandriam obiit *Annianus*, post XXII. Episcopatus annos: *Abilius* succedit. *Cletus* vero, Romanus Pontifex & ipse XII. annis sedet, & transiens, *Clementi* Papatum relinquit. Ajunt autem, qui de cathedra Romanae Ecclesiae persecutati sunt, quod *Linus* & *Cletus* non sederunt ut Pontifices, sed ut Summi Pontificis Coadjutores, quibus beatus Petrus tradidit Ecclesiasticarum rerum dispositionem. Ipse vero tantum orationi & praedicationi vacabat. Vnde tanta auctoritate donati, meruerunt in Catalogum Pontificum reponi.

C A P. XIII.

Persecutio Christianorum per Domitianum.

Interea *Domitianus*, portio *Neronis*, ejusque impietatis successor, Christianos valde persequitur, quosdam trucidat, quosdam bonorum direptione punit; quosdam tradit in exilium, interq; eos *Flavianam Domicillam*, egregiam virginem Christi, cujus gesta habentur, in